
MANDATUM
ET
INSTITUTIO PASTORALIS

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS.

Quâ damnatur Liber, cui titulus, *Exposition de la Foy, touchant la grace & la predestination*, editus Hanonniæ-Montibus apud Gaspardum Migeot.



LUTETIÆ,
Apud LUDOVICUM JOSSE, Typographum Illustrissimi D. D. Archiepiscopi,
Viâ Jacobæâ.

Anno reparatæ salutis 1696.

CUM PRIVILEGIO REGIS.





MANDATUM
ET
INSTITUTIO PASTORALIS

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Pariſienſis Archiepiſcopi,

Quâ damnatur Liber, cui titulus Expoſition de la Foy, &c.



LUDOVICUS ANTONIUS miſeratione divinâ, & gratiâ ſanctæ Sedis ApoſtolicæArchiepiſcopus Pariſienſis, Dux ſancti Clodoaldi, Par Franciæ: Archipresbyteris ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & ſancti Severini, ac Decanis Ruralibus noſtræ Diœceſis ſalutem & benedictionem.

Poſitum eſt in eo præcipuè munus Epiſcoporum ut depoſitum fidei cuſtodiant; tenentur enixè obſiſtere novitatibus omnibus quibus vel tantillùm ejus integritas poſſit attentari; nec pati uſquam ut in eâ quid, ſive addendo, ſive detrahendo vel leviter immutetur, juxtà ſapientiſſimum Vincentii Lirinenſis effatum. Itaque ubi primùm annuente Deo nobis commiſſa eſt Cleri populique tanti provincia, id animum induximus, ut quantâ maximâ poſſumus, ac debemus diligentiâ ſervandæ doctrinæ ſanæ invigilaremus. Scimus ſpiritum erroris extollere ſe novâ uſque doctrinâ adverſus ſcientiam Dei, &, quamvis conſilia videat ſua penitus everti potentiſſimo Spiritu veritatis, nunquàm ab incœpto deſiſtere.

Commonit, c. 32.

2. Corinth. 10, 5.

Sperabamus tamen fore ut turbæ illæ quæ tam pravi ſpiritûs artibus per maximam hujuſce partem ſæculi in Eccleſiâ Gallicanâ conflatæ viguerunt, & quarum non ſine mœrore poteſt refricari memoria, conquieſcerent tandem omnino compreſſæ cenſuris ſummorum Pontificum, quas prompto animo exceperant, fuerantque executi Præſules omnes, quaſque firmarat authoritas pietaſque Regis illius qui ardentiſſimo ſuo in catholicam fidem ſtudio id conſecutus eſt, ut primogenitus Eccleſiæ filius, non inani titulo, nuncupetur. Cùm tam ſolemnitèr finita cauſa eſſet, erat ſperandi locus errorem quoque, ut ſimili in materiâ loquebatur olim ſanctus Auguſtinus, finem habiturum. Verum ſummâ cum ægritudine cernimus vivere nobiſcum inquietos homines, pacis inimicos, ſpargique in vulgus libellos quorum ope turbari Eccleſiæ tranquillitas, ac longiſſimæ illæ moleſtiſſimæque diſputationes renovari poſſint, in quibus comprimendis tantoperè laboravit. Ejuſmodi eſt Liber, cui titulus *Expoſition de la Foy touchant la grace & la predeſtination.*

Neminem fugit quos tumultus concitarint famoſæ illæ quinque Propoſitiones extractæ è Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi Libro, cui titulus, *Auguſtinus.* Vix effluxerunt anni decem ex quo Liber iſte fuerat in publicum evulgatus, cùm octoginta quinque Galliarum Epiſcopi deprehenſis in illo libro propoſitionibus jam in Concilio Tridentino damnatis idcircò quod arctiores humanæ libertati limites aſcriberent, nec divinam bonitatem ſatis extendi paterentur, ad Sedis Apoſtolicæ confugerunt authoritatem.

Innocentius X. tum ſummus Pontifex promulgavit Conſtitutionem ultimo die Maii anno 1653. latam quâ iſtius Libri quinque propoſitiones, ut par erat, proſcriptæ ſunt. Primam illam Conſtitutionem ad majorem elucidationem interpretatus eſt & confirmavit Alexander VII. Conſtitutionibus duabus, quarum altera die 16. Octobris anno 1656. data

fuit, altera 15. Februarii an. 1665. atque hæc poſtrema formulam, cujus ſubſcriptio imperabatur, continebat, ejuſque ſenſus idem, idemque ſpiritus quem formula in Comitiis generalibus Cleri Gallicani ad annum 1656. confecta exhibebat.

Conſtitutiones illas Apoſtolicas acceptarunt Præſules, iiſque ſingulari cum reverentiâ & obſequio acquieverunt, quod ſanè judicium omnis Eccleſia Catholica conſenſu ſuo ſubſecuta eſt. Quid ad evertendam funditùs doctrinam tam pernicioſam fieri potuit efficaciùs? Huc accedit quod ipſe Janſenius author ejuſmodi doctrinæ cùm ſcripta ſua judicio ac cenſuræ Sedis Apoſtolicæ per teſtamentum, & in ipſo mortis aditu ſubmiſiſſet, egregium profectò diſcipulis exemplum dederat quod imitarentur.

Nihilominùs (ſolet enim plerumque quamvis proſtrata reſurgere acriùs ſuperbia) magno cum ſenſu doloris videmus renaſci hæreſim in Libro nuper edito, eoque renaſci damnoſiùs quod liber iſte ſcriptus vernaculè non ſecùs legi poſſit à ſimplicibus indoctiſque hominibus, quàm ab eruditis.

Sic in re tàm gravi, ùt officio noſtro faceremus ſatis, diligentèr examinari curavimus opus illud, noſque ipſi diù iſtud idem expendimus, unde difficile non fuit in eo Janſeniani dogmatis venenum omne deprehendere.

Prima Propoſitio quæ veluti fons ac fundamentum eſt cæterarum, hoc eſt illa propoſitio quâ juſtis labentibus eripitur gratia ſine quâ nihil poſſunt, illìc renovatur, & tanquàm fidei dogma aſſeritur. Nihil juverit hîc Authorem iſtum ignotum in eo coarguere quòd Propoſitiones cæteras anathemate percuſſas paſsim per Librum ſuum diſperſerit, ac divi Auguſtini nomine, nonnullorumque Doctorum abuſus turpitèr fuerit.

Nullum malo huic uſque reſurgere tentanti potentiùs afferri remedium poteſt, quâm quo primâ vice ſublatum eſt, Conſtitutiones intelligo Innocen-

tii X. & Alexandri VII. quarum plana dilucidaque est interpretatio. Sumantur Constitutiones, Propositionesque damnatæ eo sensu qui statim subit animum, quemque ipsa exhibet lectio, IN SENSU OBVIO. Hanc Belgii Episcopis & Theologicæ apud Lovanium Facultati regulam suis sexto die Februarii anno 1694. diplomatibus præscribit sanctissimus Pontifex Innocentius XII. quem diù sospitem servet Deus Optimus ad Christiani orbis, cujus verè communis pater est, utilitatem.

Nullam sanè viam possumus insistere tutiorem. Igitur Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus adhærentes, omnibus maturè perpensis, INVOCATO SANCTISSIMO DEI NOMINE damnamus Librum cui titulus, *Exposition de la Foy touchant la grace & la predestination*, Typis editum Hannoniæ Montibus, apud Gaspardum Migeot, ut continentem propositiones respectivè falsas, temerarias, scandalosas, impias, blasphematorias, ipsi Deo contumeliosas, de ipsius bonitate derogantes, anathematepercussas atque hæreticas, quo denique renovatur doctrina quinque Propositionum Jansenii, idque temeritate eò magis intolerandâ, quòd istius Author libelli tanquam fidei dogma astruat id quod non modo non est de fide, sed quod ipsa fides exhorret, universaque detestatur Ecclesia.

Cæterùm reliquas propositiones in isto Libro inclusas nolumus approbari, ejus lectionem propositâ excommunicationis pœnâ aliisque ex jure pœnis interdicimus, sub iisdem quoque pœnis præcipimus ut ad nos, aut ad Vicarios nostros generales exemplaria deferantur; nihil eorum denique quæ ad pastorale munus pertinent, omittemus, quo contenta & exsuscitata rursus in isto Libro doctrina extinguatur penitùs & aboleatur.

Matt. 13. 29. Verùm, ne *colligentes zizania eradicemus simul cum eis & triticum*, postquam illorum deteximus errorem, qui gratiæ abusi doctrinâ perniciosissimas

ex illius efficaciâ consequentias eduxerunt, nostri quoque officii est tam necessariam, tam gravem materiam eos docere quos Spiritus sanctus fidei nostræ commisit.

Id quidèm ita præstabimus ut relictis intricatioribus spinosisque quæstionibus, ex Scripturâ, Conciliis, & sanctis Patribus depromamus quæ pietatem alere possint & mentem illustrare, non verò curiositatem ac tricas fovere disputationum.

Nemo Christianus omninò est, qui non debeat agnoscere nihil se quidquam sine Christi gratiâ posse ad salutem consequendam. Cogitationes bonæ, sanctæ actiones, *omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est ; descendens à patre luminum.... Ipse Deus operatur in nobis velle & perficere* juxta ipsam D. Pauli doctrinam. *Jacob. 1. 17.* *Philip. 2. 13.*

Demittamus ergo nos ipsi humiles ac nostræ conscii nimium infirmitatis & impotentiæ, sed extollamus & illicò nos, intuentes in omnipotentem Christi bonitatem. Quantumvis per nos ipsi debiles simus, & quidquid perfectionis reposcat à nobis Deus, *impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possimus & petere quod non possimus, & adjuvat ut possimus.* Si quis igitur indiget sapientiâ, non illam se sibi parare posse confidat, ut superbi illi quondam Philosophi, sed quemadmodum humiles Ecclesiæ filii, postulet à Deo. *Concil. Trident. sess. 6. chap. 11.*

Pia illa prudensque mater Ecclesia divino semper afflata Spiritu, suis precibus ad exemplar orationis Dominicæ compositis, docet nos gratiæ necessitatem, & quâ potissimum ratione eam assequamur Ea fuit semper vel primis sæculis in hac materiâ constans perpetuaque SS. Patrum regula, *ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Ut quisque planè cognoscat quod credit, accuratè observet quod petit.

Postulamus à Deo ad sancta altaria ut non modò Infideles possint credere, peccatores convertere se, & boni in justitiâ perseverare, sed etiam ut Infideles

à suis erroribus reipsà revertantur ; ut peccatoribus remedia applicentur pœnitentiæ, & gratiam acceptam ad extremum vitæ finem boni conservent. Non igitur posse tantùm sed & perficere postulatur à Deo ; atque ut non frustrà factum esse appareat, ubi primùm piæ preces exauditæ sunt, statim gratias tam singularis memores beneficii Deo rependimus.

Quamobrem cœlestis ille Magister, cum ab illo requirunt Apostoli ipsos ut orare doceat, universam in Apostolis Ecclesiam erudiens ad precandum, jubet petere nos à Deo, uti nomen ejus in nobis reipsâ & sanctitate vitæ nostræ sanctificetur, ut regnum ejus cui omnia obtemperant, citò adveniat ; & ejus voluntas in nobis fiat sicut in cœlo, ut panis noster quotidianus, hoc est necessarius cùm animæ, tùm corpori cibus ipsius nobis liberalitate concedatur.

Ut quibus egemus ab illo bona postulamus, sic & petimus, ut quæ mala metuere debemus avertat. Obtestamur ne nos inducat in tentationem, sed liberet à malo, id est tueatur æternùm à peccato quod est unicum verè malum, imò fons & origo malorum omnium, quæ sanè à peccato liberatio inducit finalem secum perseverantiam, ut videre est ex illá oratione ad sanctam communionem prævià quam Ecclesia ab omnibus Sacerdotibus in tremendo Missæ sacrificio recitari jubet, quamque Fidelibus omnibus proponit.... *Domine Jesu Christe ... Fac me tuis semper inhærere mandatis, & à te nunquam separari permittas.*

Hæc eadem petendo Orientalis cum Occidentali Ecclesiâ feliciter conspirat. Jam ab annis mille & ampliùs gratiæ defensores è liturgiâ quæ Divo Basilio tribuitur hanc precationem usurparunt. *Malos, quæsumus, bonos facito, bonos in bonitate conserva ; omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi, cùm enim volueris salvas, & nullus resistit voluntati tuæ.*

Ipsa eadem divinæ voluntatis omnipotentia in nobis

bis operantis hanc precum in Sacrificio formulam eli-cuit & expressit, *ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*: non quòd inviti justificemur ac salvemur, verùm quia Deus Optimus ex rebellibus subjectos obtemperantesque reddit ac præstat, ut ament quod prius oderant. Dum de malo autem, sicuti S. Bernardus loquitur, mutat voluntatem in bonum, non cogit libertatem, sed corrigit ac perficit. Dominus ipse dirigit gressus hominis, sed efficiendo ut in semitas ejus liberè ingrediatur, *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* Ps. 36. 23. Trahit animam post se Deus, sed præstando ut tam dulces sequatur illecebras cum plenâ libertate eligendi quod libuerit.

Nemo igitur existimet gratiæ potentiâ destrui libertatem hominis, aut libertate hominis gratiæ potentiam debilitari. Quis credat arduum ac difficile esse Deo, qui liberum creavit hominem, efficere ut homo liberè agat, & eum sic afficere ut eligat ipse quod placuerit?

Scriptura, Traditio, ipsa ratio nos docent, quidquid ad perficiendum bonum in nobis virium est, illud omne à Deo proficisci. Contrà verò sæpiùs experti sentimus ipsi nimis eheu posse nos à bono faciendo, si ita volumus, declinare. Accidit quoque sæpe, ut gratiæ quam dat Deus reipsâ resistamus, eamque *in vacuum recipiamus.* 2. Cor. 6. 1. Verùm quantamcumque vim experiamur in nobis ad denegandum vel efficaciori gratiæ consensum, nos fides docet Deum esse omnipotentem, atque ita posse de nostrâ voluntate per ipsammet voluntatem nostram efficere quidquid voluerit. Quando igitur omnipotenti misericordiæ Christi placet vocare nos eâ vocatione quam D. Paulus appellat *secundùm propositum*, id est secundùm decretum ejus, Rom. 8. 28. ipsi etiam mortui vocem ejus audiunt ac sequuntur, vincula illa quibus divina nos allicit gratia, videntur non dulcia minus & amabilia, quam graves & pudendæ evadunt catenæ peccati;

S. August. de spiritu & litt. c. 2. n. 51. *atque inspiratâ gratiæ suavitate per Spiritum sanctum Deus facit plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.*

Hinc intelligere quodammodo possumus quâ ratione gratia cum libero arbitrio concordet, & vicissim cum gratiâ cooperetur liberum arbitrium. Gratia, inquit S. Bernardus voluntatem excitat cogitationes bonas inspirando, sanat mutando affe-

S. Bern. lib. de Gratiâ & Lib. arbit. c. 14.

ctus, corroborat ad bonas actiones impellendo. Consentit & cooperatur cum gratiâ voluntas sequens ipsius impulsus; sic quod per gratiam solam in voluntate est inchoatum accrescit sensim ac perficitur simul per gratiam, & per voluntatem, ita tamen ut cum totum in voluntate & per voluntatem fiat, totum nihilominus à gratiâ proficiscatur. *Totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illâ.*

Non minori efficaciâ nobis Deus bonas inspirat preces, quàm bona in nobis operatur opera. Quod ait

Rom. 8. 26.

D. Paulus *Spiritum sanctum postulare pro nobis*, hoc ita Sancti Patres interpretantur ut det nobis Spiritus

Epist. S. August. 194. ad Sixtum.

orare *impartito orationis affectu & effectu.* Quin & Ecclesia hanc apprimè edocta veritatem orat uti Deus sibi annuat, *quæ placita illi sint postulare.*

Deus igitur, Deus ipse facit non minùs potenter ut precemur, quam ut agamus. Habet undè & quibus modis certissimè nobis precũ perseverantiã largiatur, ut donet deinde nobis ab illo vitæ bonæ consequi perseverantiam. Ante tempora omnia præscivit, decrevit & præparavit beneficia hæc gratiæ suæ. Novit etiam illos quibus ea æternâ misericordiâ & amore gratuito præparat. Ponatur hoc, stetque tanquam fundamentum nullam in Deo esse injustitiam, nec quemquam scrutari debere aut investigare altiùs consilia ejuscunctis impervia mortalibus. Quodcunque in nobis bonum est, à Deo est, quodcunque malum à nobis omninò ipsis: *cùm Deus coronat merita electorum suorum, nihil aliud coronat quàm munera sua;* nec reprobosple-

ctit, nisi propter eorum peccata causam unicá infelicitatis ipsorum. Hinc discimus, dumsimul cum gratiâ concurrimus humili fidelique cooperatione, oportere nos juxta Sanctorum Cypriani & Augustini mentem totum nostræ salutis opus ad Deum referre, ut *totum detur Deo*, ejusque nosmetipsos bonitati cum plenâ integrâque fiduciâ permittere, illud ejusdem Augustini pro certo tenentes, *Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

Verùm illâ fiduciâ, integrâque nostri divinæ bonitati permissione non eò nos adducamur, utcredamus nihil superesse nobis ad salutẽ faciendum; cùm D. Petrus nobisimperet *satagere ut per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus*; cùmD. Paulus velit nos currere ut propositum præmium referamus, *sic currite ut comprehendatis.* cùm denique D. Augustinus affirmet *perseverantiam sperare nos debere & quotidianis orationnibus poscere, atque hoc faciendo confidere non nos esse à prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciamus ipse largitur*: ita ut spes & oratio nostra sit pignus quoddam divinæ erga nos misericordiæ &argumentum à Deo nos non deseri. Atque hòc nostra debet esse fiducia firmior, quòd ex generalibus Conciliis certum sit semel gratiâ Dei justificatos nunquam deseri nisi illi Deum priùs deserant; ipsa sunt verba Tridentini Concilii; *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.* Idem multis ante sæculis asseruerat Concilium Arausicanum secundum his verbis.... *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptisati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.*

2. Pet. 1. 8.

1. Cor. 1. 10.

De dono Persev. C. 22. n. 62.

Sess. 6. c. 11.

Concil. Arausicum 2. c. 25.

Noverint hæc fideles de maximo illo prædestinationis mysterio, in quod intuens tantopere stupebat, seque tam submissè deprimebat gen-

Auctoritates Sedis Apostolicæ post Epistolam Calesti.

ni Papæ ad Episcopos Galliæ. Concil. to. 2.

tium Apostolus. Quod superest, referri potest ad illas *profundiores difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas sicut non audemus contemnere, sic non necesse habemus adstruere.*

Nunquam hunc (Augustinum) *sinistræ suspicionis, saltem rumor aspersit* Epist. Cælest. ad Gal. Episc.

Absit igitur ut quisquam arbitretur Sanctos Patres qui hæc nobis tradidere vera & sancta, inprimis Divum Augustinum ulteriùs quàm par erat, esse progressos, cùm immò Summi Pontifices à Sanctis decessoribus suis doctrinam Sancti Augustini fuisse semper approbatam declarent ac *nunquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumore fuisse aspersum.* Et tantum abest ut modum Augustinus excesserit in postremis operibus suis, quibus hostes gratiæ maximè visi sunt commoveri, ut contrà Summi cujusdam Pontificis eruditione conspicui mens fuerit *in his maxime libris cognosci, de libero arbitrio & gratiâ Dei, quid Romana, hoc est,* addit ipse, *Catholica sequatur & asseveret Ecclesia.*

Hormisdas Ep. ad Possess.

Quæ verba Hormisdæ sanctissimi Pontificis à veteri exulantium propter fidem Confessorum Concilio in eos, objecta qui, spretis Augustini scriptis, inciderant in errorem, quàm opportunè usurpanda ac laudanda sunt hoc præsertim tempore quo sanctissimus Papa noster ad eumdem quoque Augustinum nos remittit à quo discamus quid *secundùm Prædecessorum suorum statuta, Romana sequitur ac servat Ecclesia.*

Breve ad Facult. Theolog. Lovaniens. 6. Feb. 1694.

Hæc sana doctrina est de prædestinatione & gratiâ Christi: cujus doctrinæ ea debet esse utilitas præcipua, ut Fidelibus humilitatem ac vigilantiam Christianam inspiret, ut iidem, & suæ conscii sint infirmitatis, & majori in dies cum attentione, quibus tenentur, officia exequantur: cùm ope illius doctrinæ cognoscent se *nihil posse* sine Christi auxilio *facere*, tum sentient *omnia se posse in eo qui ipsos confortat.* Eorum timor fiduciâ sustentatur, atque hæ virtutes animam præparant ad amorem Dei seu charitatem *quæ diffunditur in cordibus nostris* unà cum

Joan. 15. 5. Phil. 4. 13.

Rom. 5. 5.

gratiâ, quandoquidem ipsa gratia præcipuè consistit in delectabili illius amoris inspiratione. Ad amorem illum viam parat timor suppliciorum æternorum : & ut,amoris initium aperit corda hominum ad conversionem, sic ejusdem amoris perfectio in conversione confirmat ; per amorem Dei insinuant sese virtutes omnes in animos, & in illis perficiuntur. Hinc falsa de moribus doctrina continuò evanescit, quoniam amor ille mentem non minùs ad cognoscenda quæ ex officio nostro sunt illustrat, quàm ad eadem perficienda pectus inflammat. Hoc amore ducti homines jam non *vanas excusant excusationes in peccatis* suis : quarum quidem excusationum,à quibus inane subsidium quærit amor sui, nulla profectò perniciosior quàm quâ conantur homines immunes se præstare ab amandi Dei lege, hoc est, à lege omnium legum ut æquissimâ & jucundissimâ prorsùs, ita primâ profecto & maximè præcipuâ.

Concionatores hortamur ac Confessarios, illisque præcipimus authoritate Spiritus sancti qui nos posuit regere Ecclesiam Dei, ut sanctæ illi, quam ipsis proponimus, doctrinæ fideliter adhærescant ; quoniam nulla pars ejus è Scripturâ non desumpta est, ipsisque Sanctorum expressa verbis, quam insuper sancta Sedes & universa Ecclesia recipit & consecrat. In Domino etiam confidimus, si fortè qui alio ducti Spiritu scripserint, eos non expectaturos, donec in illorum errores, nisi quam primùm ejurarint, ut æquum est, animadvertamus.

Ut sanctissimi Papæ nostri ad cujus exemplum cupimus informari sapientissimam hac etiam in re sequamur rationem, reliquum est ut præcipiamus, quemadmodum ipse summus Pontifex in brevibus jam laudatis præcipit, ut ne quis vagâ illâ & odiosâ Jansenismi accusatione aspergat quemquam, nisi ille aut vivâ voce aut scripto aliquam è damnatis Propositionibus docuisse convincatur. Obsiste-

mus quâ debemus ſeveritate iis omnibus qui auſi fuerint tam pravam renovare doctrinam & loqui aut ſcribere ſeu directè ſeu indirectè adverſus ſummorum Pontificum Conſtitutiones; ſed neque illud etiam patiemur ut ſine authoritate, ſine charitate homines de fratrum ſuorum fide judicare audeant, illorumque famam vel leviſſimis ex ſuſpicionibus labefactent.

Novimus heu nimiùm quàm damnoſum Eccleſiæ ſit ſiniſtros excipere rumores adverſus eos quibus ad regimen animarum Deus neceſſariam pietatem ſcientiamque eſt largitus. Omni conatu nitemur temeritatem comprimere turbulentorum hominum qui vel pravâ doctrinâ fidem Eccleſiæ lædere, vel ejus tranquillitatem miniſtrorum diſſidio turbare molientur, *Ut deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare.* Hoc Galliarum olim Epiſcopis Papa ſanctiſſimus præcipiebat, hoc qui nunc Eccleſiam tanta cum gratiâ & benedictione moderatur Summus Pontifex Belgii præcipit Eccleſiis.

Cæleſtini Papæ Epiſtola ad Galliarum Epiſcopos.

Jam veró mandamus atque indicimus Eccleſiaſticæ noſtræ Curiæ Officiariis uti curent hoc-ce decretum noſtrum executioni mandari, & Templorum omnium tum in Urbe, tum in Suburbiis, foribus, atque ubicunque fuerit opus affigi. DATUM Pariſiis in noſtro Archiepiſcopali Palatio 20. die Auguſti anno 1696. Signatum, LUD. ANT. Archiep. Pariſienſis.

De mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. D. Archiepiſcopi Pariſienſis.

CHEVALIER.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE